


## 34 Fragmenta varia rep. Londinii

a a. 1846 rep. in *Cloak Lane*; fragmentum tituli sepulcralis marmorei (*Purbeck marble*). b c from *London wall*; d from *the Thames*. Servantur in museo Britannico omnia.



Descripsi omnia. Editum est a tantum ab E. B. Price *assoc. journ.* 2, 1847 p. 351 et C. R. Smith *collect. ant.* 1 p. 139 tab. 48 A.

35 Londinii rep. a. 1852 una cum n. 30 at *Towerhill*, in the buttress of *London Wall* in fragmento tectorii albi; litterae pictae erant colore rubro. Videtur periisse.

S V P

C. Roach Smith *Roman London* p. 28 ad n. 9.

## IX. AQVAE SVLIS

(Bath).

Accedunt *Camerton, Chessels, Combe Down, Pitney.*

Postquam regiones meridionales recensuimus ab occidente versus orientem procedentes, redeundum esse visum est primum ad partes orientales superioris Britanniae, ut deinde ulterius progrediamur versus septentriones.

Atque in Belgarum quidem territorio *Ἰδάρτα Τερμὸν* ponit Ptolemaeus (2, 3, 28); similiter *Aquis* mansionem simpliciter nominat *Ravennas* (5, 31 p. 430, 5). In itinere autem Antoniniano in itinere ab *Isca Silurum* (infra cap. XIII) *Callevam* (supra c. V) ab hac m. p. LXV (mansiones autem intermediae incertae sunt) ponitur *Aquis Sulis* mansio (p. 486, 3). Ibi enim quanquam melioris notae libri scripti *Solis* habent, illud tamen servatum est a codicis *Vindobonensis* (*L Partheii*) manu altera, item a *Remensi* (*J*) et *Vaticano* (*N*). Hanc veram esse lectionem ex titulis deae *Sulis Minervae* ibi cultae (n. 39—44. 53) diu est quod inter Anglos proposuit *Sam. Lysons* (reliq. *Brit. Rom.* I 1813 p. 9 adn. c); quem ipse secutus sum (in *novo mus. Rhen.* 14, 1859 p. 349). Sed neglexit veritatem is quoque qui nuperrime urbis monumenta composuit. De thermis huic deae sacris habemus praeterea testimonium memorabile *Solini* (c. 21 p. 115, 1 M.), ignoto ex fonte desumptum; narrat ille in *Britannia* praeter magna et multa flumina esse etiam fontes calidos *opiparo excultos apparatu ad usus mortalium; quibus fontibus praesul est (praesule est cod. Sangallensis) Minervae numen, in cuius aede perpetui ignes nunquam canescunt in favillas, sed ubi ignis tabuit vertit in globos saeos.* De qua aquarum indole quid statuendum sit hic non quaerimus; neque vero tacebimus leni transpositione verba tradita ita scribi posse quibus fontibus praesul *Sul(is) Minervae numen.* Qua in re nihil refert utrum *Solini* librarios peccasse statueris an ipsum *Solinum* deae ignotae nomen, quod apud auctorem legerat quem sequitur, non recte intellexisse. Alia vero de oppido thermisve testimonia non extant. Nam quod Angli huc rettulerunt *Stephani* (p. 155, 12 Mein.) de *Βάδζα* urbe ignota τῆς *Βρετανίας*, ut libri scripti habent, alienum est; agitur enim apud *Polybium*, unde *Stephanus* hausit, de oppido τῆς *Βρετανίας* (13, 10, 4 cf. *Liv.* 30, 19, 10) neque omnino cum eo componi potest *Germanicum* balneorum nomen *Bath*. Omnis vero regio illa vestigiis vitae Romanae abundat; ut appareat loca etiam hodie amoenitate coeli non minus quam aquarum salubritate clara inde ab initiis dominationis Romanae praecipue culta esse. Ad deae *Sulis* aliorumve numinum, ex parte peregrinorum (ut n. 36. 37) cultum pertinent tituli plerique; templi eius a sacerdotibus (cf. n. 53) instaurati et thermarum reliquiae conspicuae detectae sunt saeculo proximo exeunte (n. 38. 39; cf. *Goughs Camden* I p. 114 tab. 6 et *Archaeologia* 10, 1792 p. 325 ss. 36, 1855 p. 187 ss.; praeterea *T. I. Pettigrew assoc. journ.* 12, 1856 p. 291 ss. et *I. H. Markland* *ibid.* 13, 1857 p. 81 ss.); sed aliorum etiam templorum reliquiae servatae sunt. Neque desunt artis opera non spernendi laboris, velut caput aereum (repertum a. 1725 in *Stall Street*) *Apollinis* ut putabat *Horsley* (p. 327 *Somersetsh.* 6); sed feminae potius est atque facile esse potest ipsius deae *Sulis*. Contra protome illa feminae (*Horsley* p. 829 *Somersetsh.* 11), quam *Musgravius* (*Belg. Brit.* 1 p. 112) *Andromachen* nuncupaverat, imago est feminae Romanae aevi *Domitiani*; capillamentum enim gerit noto *Iuliae Titi filiae* simile. Milites ex universa provincia huc convenisse valetu-

dinis recuperandae causa consentaneum est; unde non mirabimur titulos aut votivos aut sepulcrales hic repertos esse legionariorum legionis II *adiutricis* (n. 48), II *Augustae* (n. 42), VI *victricis* (n. 36. 40. 41), XX *Valeriae victricis* (n. 49. 50. 51), item equitis *Hispani* in ala *Vettoniana* militantis (n. 52; cuius generis videntur extitisse olim plura); ut in museo praeterea alia etiam anaglypha servantur militum variorum, quorum tituli perierunt. Stativa autem nulla ibi fuisse ex tegularum militarium absentia iure concluditur; fuerunt vero castra non procul inde ad *Combe Down* (cf. n. 62. 63). Sed neque vitae municipalis vestigia in titulis reperiuntur; decurio coloniae vicinae ibi defunctus (n. 54) item balneorum causa huc venisse potest, ut fortasse etiam femina ex civitate *Mediomatricum* (n. 55) itemque civis *Trever* (n. 37). Tituli autem omnes hic reperti, etiam sepulcrales simplices, exceptis solis militaribus ad *Combe Down* detectis (n. 62. 63), qui saeculi tertii sunt, ad ipsum saeculum primum vel ad initia secundi videntur pertinere; tamen cave inde concludas frequentiam thermarum postea decrevisse. Solidiora enim et grandiora esse solent saeculorum priorum monumenta, unde ad fundamenta aedificiorum aetate postera extractorum aut ad muros magis idonea visa sunt.

1. Reliquiarum Romanarum in *Bath* servatarum iam *LELANDUS* meminit, titulum integrum vero exscripsit nullum (cf. n. 78).
2. *CAMDENUS* in tertia editione (a. 1590) duos tantum novit (n. 48. 50); in quinta (a. 1600) tres alii accesserunt (n. 54. 56. 58).
3. Fere eosdem *Thomas GUIDOTT* medicus attulit, cum de thermis scriberet c. a. 1660 (cf. n. 59).
4. A. 1708 repertum (n. 49) iam notis addidit *MUSGRAVIUS*, de quo per multi deinde, neque vero docte, scripserunt.
5. Similiter a. 1748 *STUKELEIUS* commentatus est de titulo item militari tum reperto (n. 52).
6. Repetivit eos omnes accurate, ut solebat, *HORSLEIUS* (n. 72. 73. 74. 78. 80. 82); quibus repertos annis 1752 et 1753 addidit *Ward* (n. 38. 39. 45).
7. Sed saeculo proximo exeunte demum, dum nova et splendidiora thermarum aedificia extruuntur, prodierunt tituli plurimi et optimi; eorum aliquot descripsit, sed imperfecte *Carolus ENGLEFIELD* (n. 38. 39. 40. 41).
8. Omnes una cum reliquis, qui tum extabant, solita diligentia depinxit *Samuel LYSONS* (n. 36. 43. 45. 46. 49. 51. 53. 55).
9. Accesserunt postea pauci, reperti annis 1825 et 1828 et editi ab *Ios. HUNTER* (n. 47. 57); nuperrime fragmenta tantum perpauca detecta sunt (n. 44. 60).

E scriptoribus rerum patriarum consulendi erant *Ioh. COLLINSON* (*the history and antiquity of the county of Somerset. Bath* 1791 3 voll. 4.) et *W. PHELPS* (*the history and antiquities of Somersetshire. Lond.* 1836 2 voll. 4.); quibus novi nihil debetur. De Aquarum ipsarum antiquitatibus praeter *Thomam GUIDOTT*, quem dixi, scripserunt *Thomas POWNALL* (1795, cf. n. 63), *Ricardus WARNER* libellis variis, quos composui in indice auctorum (adhibui potissimum *the history of Bath. Lond.* 1801 8.), nuper *H. M. SCARTH* parochus tam in scriptis societatis archaeologicae comitatus *Somersetensis* (quorum vidi voll. 12 annorum 1851 ad 1865), quam in voluminibus quibusdam actorum *of the archaeological association*, deinde etiam in libro peculiari (*Aquae Solis*